

ARTICVLVS V.

An Logica sit scientia realis, an rationalis?

1. Sentent.

MOVETVR iste Articulus propter solutionem ad secundum; contra quam videtur esse opinio Aquarij 2. Metaphys. dilucidatione vnde dicitur tenentis logicam esse scientiam secundum quid, ac per consequens esse scientiam simpliciter rationalem: quae quidem sententia probatur primo.

1. Argum.

Omnis scientia, quae agit de ente rationis, quod est ens secundum quid, est huiusmodi: igitur. Maior est certa: quia ens, quod non est simpliciter tale, est ens secundum quid: minor patet: quia agit de secundis intentionibus, quae sunt entia rationis: consequentia est legitima. Igitur, &c.

Secundo omnis effectus realis debet a causa reali provenire: igitur si logica est aliquo modo scientia realis debet a causa reali provenire: sed eius obiectum, quod est illius causa, non est ens reale: igitur nec ipsa poterit esse scientia realis simpliciter: nec secundum quid, quia illud, quod non potest habere causam sui, nullo modo causatum dici potest.

2. Sentent. Doctoris.

Nota. 1.

Secunda, & opposita sententia est Doctoris si eius solutio ad secundum recte penetratur, estque communis apud omnes; pro qua notandum primo, quod scientia quadrupliciter potest dici rationalis, primo subiective: quia scilicet subiectatur in potentia rationali. Secundo acquisitive, hoc est, quia per rationem inquirentem ignota per magis notum, est acquisita. Tertio directiva: id est, quia dirigunt operationes intellectus: & his tribus modis, quae libet scientia rationalis dicitur. Vltimo tandem dicitur scientia rationalis obiective: quia licet, agit, de ente rationis: sicut illa dicitur scientia realis obiective, quae agit de ente reali.

3. Notam.

Secundo notandum: scientiam dupliciter realem appellari posse. Primo proprie, & adaequate, qualis est illa, quae a specie obiecti realis immediate causatur. Secundo non ita proprie, & est illa, quae per speciem sui obiecti non causatur, quia tale obiectum non est per se productum speciei intelligibilis, quale est ens rationis: causatur tamen a specie entis realis supplens vicem entis rationis: prima scientia dicitur realis realis secundum da realis intentionalis.

Conclus.

Dicendum: logica intrinsece, & simpliciter, est scientia realis: extrinsece autem, & secundum quid scientia rationalis: sic Doctor in praesenti, sic enim est intelligendus, & 6. Metaphys. quae st. 1. quoad primam partem manet probata Artic. 4. quoad secundum probatur: scientia specificatur ab obiecto extrinsece: sed obiectum logicae est ens rationis: ergo logica denominatione extrinseca dicitur rationalis, seu agens de ente rationis.

Ad primam.

Ad argumenta. Ad primum nego maiorem: nam licet ens rationis logicum, comparatione facta cum ente reali, dicatur ens secundum quid: nihilominus secundum se, nulla comparatione facta est simpliciter ens rationis, & simpliciter verum

tam veritate in essendo, quam in cognoscendo, & enuntiatio: quia quidquid praedicatur de ente reali per se secundo modo, etiam de ente rationis suo modo praedicatur: unde sicut haec est vera: homo est animal rationale: ita suo modo haec diffinitio est vera: genus praedicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid.

Ad secundum.

Ad secundum concedo totum Enthymema: ad probationem dico: quod licet ens rationis formaliter non causet sui cognitionem: bene tamen fundametaliter, quatenus virtualiter in ente reali continetur: itaque ens reale causat sui cognitionem in intellectu, quia mediante causat sui cognitionem: & talis species entis realis continet virtualiter cognitionem entis rationis, non quod producat speciem entis rationis: sed quia adiuvat in intellectu, ut entis rationis cognitionem producat respectu cuius cognitionis ens rationis tantum terminativae se habet. Videatur Lecherus in 1. dist. 3. q. 3. quantum ad secundum Articulum, & Bargius ibidem optime hanc solutionem ex mente Doctoris exponentes.

ARTIC. VI.

An Logica sit scientia practica vel speculativa?

OMISSO modo dicendi Gerardi Odon, q. 3. prologi in libros Ethicorum asserentis logicam nec esse scientiam practicam, nec speculativam, sed quid indifferens se habet ad omnes alias scientias: omisso igitur hoc dicendi modo; inter Auctores titulum articuli admittentes, est prima sententia Aureoli nostri q. 3. prologi affirmantis logicam esse simpliciter scientiam practicam, & probatur primo. Omnishabitus actiuus est practicus: logica est huiusmodi: igitur. Maior videtur certa: minor ostenditur: quia est quaedam virtus, & quaedam potentia, cuius est proprium agere. Igitur.

1. Sentent.

1. Argum.

Secundo habitus, qui non caret respectu prioritatis, & conformitatis, actiuitatis, & directiuitatis, non est simpliciter speculativus: quia ista videntur conditiones habitus practici: sed logica est huiusmodi: ergo non est speculativa: minor patet de prioritate: quia in conueniens est simul quaerere scientiam, & modum sciendi, id est, logicam; & ideo logica praecedit notitiam aliarum scientiarum: de conformitate, & de alijs patet, quia omnes aliae scientiae vtuntur, & regulantur per logicam. Igitur, &c.

Tertio nullus habitus speculativus facit obiectum suum: sed logica facit illud: ergo maior probatur ex differentia, quae est inter habitus speculativos, & actiuos, posita in sexto Metaphys. minor constat: quia logica facit orationes conceptuum expressiuas, & syllogismos, & alia, quae sunt subiectum in logica. Igitur. Alias rationes Aureoli, quae fere coincidunt cum his tribus, vide apud Antonium Andrzejam primo Metaphys. quae st. 11. in principio.

Quarto Aristoteles sexto Metaphys. cap. 1. diuidens scientias speculativas nullam logicam

mentionem fecit: ergo non est speculativa: aliter Philosophus diminutus fuisset.

Quinto, Philosophus in secundo Elenchorum affirmat scientias morales esse practicas: quia illas non addiscimus, tam ut sciamus quam ut boni fiamus: sed logicam non addiscimus, tam ut cognoscamus naturam syllogismi, quam ut bonos syllogismos conficiamus: ergo est scientia practica. His & alijs argumentis roboratur haec sententia: quam etiam ex parte amplectitur Fonseca 2. Metaphys. cap. 3. quae st. 2. Conimbricenses in Logica quae st. 4. Prooemial. artic. 5. & omnes illi, quos citat, & sequitur Oña quae st. 1. art. 4. adherentes logicam esse simul practicam, & speculativam.

2. Sentent. Doctoris.

Secunda, & amplectenda sententia asserens logicam esse scientiam speculativam, & nullo modo practicam, est Doct. primo Metaphysica, quae st. 7. & 6. Metaphys. quae st. 1. §. ad argumenta, & in prologo sent. quae st. 4. §. dico igitur; quae sequuntur eius discipuli ibidem, & quam plurimi Thomistae, quos refert Araujo 2. Metaphys. quae st. 3. art. 2. num. 18. Pro qua notandum primo quod praxis, a qua scientia (a posteriori tamen,) denominatur practica, quatuor modis usurpatur. Primo est operatio cuiuscunque virtutis, siue naturalis, siue liberae. Secundo dicitur operatio consequens cognoscens, in quantum cognoscens est. Tertio ut sequitur actum cognoscens, & cum hoc, ut est operatio existens in potestate nostra. Quarto denique sumitur strictissime, & a Doctore in prologo, ut supra, sic describitur: praxis est actus alterius potentiae, quam intellectus, naturaliter posteriori intellectu, natus elici conformis rationi rectae, ad hoc ut sit actus rectus: secundum quam descriptionem quatuor conditiones ad praxim proprie dicitur requiruntur.

3. Notam.

Prima conditio quod sit actus alterius potentiae ab intellectu: quare actus elicitus a voluntate, ut velle & nolle; & omnis actus a voluntate imperatus, ut sunt actus ab alijs potentijs eliciti iuxta imperium voluntatis, etiam si ab intellectu eliciantur, dicuntur praxes; diversimode tamen: nam illi sunt per se primo praxes, isti vero per se non primo, sed secundo: & fundatur haec conditio in illo axioma communi: tertio de Anima cap. 10. text. 50. intellectus extensio sit practicus: nam extendere est extra se tendere: ergo stando praecise in actibus suis, non sit extensio: ergo debet fieri necessario in actibus aliarum potentiarum: sed prima potentia post intellectum est voluntas: ergo respectu actuum illius sit primo extensio: ac per consequens tales actus erunt per se primo praxes. Quomodo autem hoc axioma ibi ab Aristotele habeatur, explicant optime expositores Doctoris in prologo, ut supra.

Secunda conditio est, quod praxis sit naturaliter posteriori intellectu: sicut omne regulatum est posteriori sua regula: unde omnis actus non regulabilis ab intellectu, nec dicens ordinem ad illum, ut sunt actus vegetativae, nutritivae, & generativae virtutis, ac etiam actus praecedentes intellectum, non dicuntur praxes. Tertia conditio est, quod sit actus aptus elici

conformiter rationi rectae, quae fundatur in 6. Ethicorum, ubi dicitur: quod electio recta necessario requirit rationem rectam: et hoc est verum de electione, quae est actus elicitus, pariformiter erit verum de actu imperato.

Vltima conditio est; quod praxis sit actus, qui potest recte, & non recte, elici: & hoc significatur, cum dicitur: ad hoc quod sit actus rectus: nam si non posset recte, & non recte elici: frustra poneretur respectu eius scientia practica directiva; non enim directiva indigeret. Vnde hic diffinitur a Doctore praxis in communi, prout est actus aptus, ut conformetur rationi rectae, & sit actus rectus, quae rectitudo est etiam communis ad rectitudinem moralem, & ad rectitudinem cuiuscunque artis, siue actiuae, siue factiuae, ut hic notavit Bargius. Quare Doctor non solum vult actum liberum voluntatis esse tantum praxim, ut sibi imponit Vazquez 1. p. disp. 8. cap. 5. nec etiam vult solum actum bonum esse praxim, ut illi imponunt etiam Soto in logica, & Suarez 2. tomo Metaphys. disp. 56. sect. 3. sed simul vult esse praxim omnem actum, ut est aptus esse bonus bonitate sibi debita, siue sit bonus, siue malus quando est in re positus.

Corol. 1.

Ex quibus colligitur: quod cum cognitio, seu scientia practica, dicatur talis: vel formaliter & intrinsece per suam vltimam differentiam nobis ignotam: vel extrinsece, & effectiue, ab obiecto, seu manifestatiue, & est per ordinem ad praxim: inde fit, quod licet praxis quadrupliciter accipiat: scientia tantum dicitur practica a praxi vltimo modo accepta: ad quam ipsa scientia duplicem respectum dicitur alterum prioritatis, qui aduenit illi ex ordine potentiarum; alterum directiuitatis, qui sibi inest ab obiecto; ex eo enim quod intellectus est prior voluntate: scientia practica est etiam prior praxi: & ex eo, quod obiectum cognitum est causa rectitudinis in praxi, ideo scientia, qua tale obiectum cognoscitur, dicitur directiva praxis: unde praxis etiam pro formalis duplicem respectum ad scientiam dicitur alterum posterioritatis, & alterum dirigibilitatis: formaliter enim tam scientia practica, quam praxis, in duplici praedicto respectu consistit.

Corol. 2.

Colligitur etiam quid sit formaliter speculatio, & in quo differat a praxi: est igitur speculatio secundum Franciscum de Maironis in 1. dist. 46. q. 1. operatio intellectiva, quae non est regulativa alterius, sed est gratia sui: itaque caret ordine prioritatis: ad actum alterius potentiae, & etiam ordine directiuitatis quia non dirigit actum aliarum potentiarum, nec facit intellectum extra se tendere. Vnde scientia practica, & speculativa differunt, primo ex obiectis: nam obiectum practicae est quid operabile, vel attingibile media aliqua actione voluntatis elicitae, vel imperatae: obiectum vero speculativae est tantum quid operabile ab intellectu; ita ut si per impossibile non esset voluntas, nec alia potentia, ipse intellectus ex se illud contempleretur, & fabricaret. Secundo differunt, ex fine proximo: nam finis proximus scientiae practicae est cognitio obiecti operabilis, modo operabilis: id est, dirigendo aliam potentiam, quomodo operari debeat: at verum finis proximus speculativae est cognitio obiecti

contemplabilis, modo contemplabili, non dirigendo aliam potentiam, sed solum se ipsam circa suum obiectum: itaque omnis actus intellectus dirigens alias potentias, ab ipso intellectu, erit practicus: & omnis habitus intellectus, qui tales potentias non dirigit, est speculativus.

2. Notan.

Secundo notandum: quod licet non implicet, vnum, & eundem intellectum, esse simul practicum, & speculativum: quia respectu illius, practicum, & speculativum sunt differentia accidentales illum tanquam subiectum respicientes: implicat tamen vnum, & eundem habitum esse practicum, & speculativum simpliciter: ratio est quia practicum, & speculativum respectu habitus sunt propriae passionis ab ipso dimanantes. Vnde sicut duae propriae passionis duarum naturarum specie differentium nequeunt eidem convenire; sic nec practicum, & speculativum eidem habitui simpliciter: dico notanter simpliciter: nam eundem habitum esse simpliciter speculativum, & secundum quid practicum, non inconuenit: vt de Theologia contingentium docet Doctor quartus. prologi; quae ab obiecto est simpliciter speculativa, & a voluntate diuina est per accidens practica: nec etiam inconuenit e contra esse simpliciter practicum, & secundum quid speculativum, vt patet in Medicina, quae tota est simpliciter practica, & tamen secundum quid vna eius pars est speculativa.

1. Conclus.

Dicendum primo, Logica nec simpliciter, nec secundum quid, est scientia practica; siue consideretur vt docens, siue vt vtens: haec statuitur contra Rubium, & Hurtado hic & contra Vazquez 1. part. disput. 8. capit. 5. num. 19. probatur: omnis habitus, qui nec per se, nec per accidens, dirigit actus aliarum potentiarum; est scientia practica, nec simpliciter, nec secundum quid: sed logica est huiusmodi dirigitur. Maior patet in corpore Articuli: minor ostenditur: quia omnis eius directio versatur circa actus ipsius intellectus ipsos dirigendo: & ideo dicitur procedere modo resolutiuo, resoluendo conclusiones in sua principia, & principia in suos terminos, quae resolutio in speculatione tantum consistit. Ergo cum logica non se extendat ad actus aliarum potentiarum ab intellectu; nullatenus practica scientia dicenda erit: sed simpliciter speculativa. Pro hac conclusione videre Patrem Didacum a Iesu, ipsam optime multis argumentis probantem, & oppositam quam plurimis impugnantem.

2. Conclus.

Dicendum secundo, Grammatica, Rhetorica, & Poetis, sunt scientiae speculativae simpliciter, sicut de Logica diximus: hanc tanquam ex precedente illam, statuo, ex Doctoris mente, contra Conimbricenses quartus. 2. art. 2. & contra nostrum Philippum Fabrum, Theoremate primo suae Philosophiae naturalis: & probatur ratione praefata, pro logica, in conclusione precedente: nam Grammatica (vt optime Ioannes Anglicus quartus. octava, & 11. super vniuersalia) considerat numeros, personas, & casus, genera, masculinum, femininum, & neutrum, figuras, & alia accidentia rationis vocibus per intellectum applicabilia: similiter Rhetorica considerat ornatum, & elegantiam verborum: & Poetis co-

rum methodum, & mensuram. Vnde, sicut Logica; vt vtens; est speculativa; etiam si in verbis, syllogismus construatur, nam talis constructio pertinet ad idem genus speculationis, ad quod pertinent conceptus, quorum ipsa est nota, seu signum: sic haec scientia, licet in vocibus exercetur, pertinet ad idem genus, ad quod termini, quos vocibus attribuit, pertinent, & cum tales sententia rationis vocibus per intellectum applicabilia, & ex se speculabilia; scientia illos considerantes erunt etiam speculativae: quia quavis subiecta, quibus haec accidentia rationis applicantur; sint praxes; accidentia ipsa non praxes censenda erunt: ac per consequens, nec scientiae, quae ipsa considerant: nam tales non considerant voces; sed accidentia vocibus applicata: sicut logica non considerat voces, in quibus formatur syllogismus, nec considerat conceptus, quorum ipsae voces sunt signa; sed considerat entia rationis conceptibus applicata, seu conceptus logice sumptos.

Ad argumenta: ad primum maior est vera, si sit habitus actiuus, & directiuus in praxim: sed tunc minor est falsa: quia logica non dirigit in praxim; sed solum in actum intellectus, qui est mere speculatio, & per hoc patet ad secundum.

Ad tertium patet ex Articulo precedente: vel aliter dico: quod illud non sufficit ad scientiam practica; nisi sit directiuus verae praxis: nam in hoc stat scientiam esse practica; quod de logica dici non potest: nam eius regulae non sunt practicae, sed speculativae.

Ad quartum respondet Doctor quod ibi Aristot. tantum diuisit scientias speculativas mere reales; non vero speculativas rationales, de quarum numero est logica.

Ad vltimum dico: scientias morales esse practicas: quia dirigit actus voluntatis, qui vere sunt praxis; vt per illos boni sumus: locus autem est logica, cuius directio est tantum circa actus intellectus, quibus ratio speculationis conuenit: itaque solutio omnium argumentorum pendet ex eo, quod scientia, quae dirigit actus intellectus tantum: quia ad alios actus aliarum potentiarum se extendat; regulando eos, vt per illos vera praxis fiat: est scientia speculativa; sicut est Logica.

ARTIC. VII.

An Logica sub generali Philosophia contineatur?

ARTICULI huius exacta solutio dependet ex alia, an enti reali, & enti rationis detur vna communis, & vniuersalis ratio: nam ex hoc voluit aliqui, de quorum numero est Ioannes Anglicus quartus. 8. & 11. super vniuersalia, dari vnam communem Metaphysicam scientiam realibus, & rationalibus quam etiam dari fatetur Tataricus quartus. 3. not. 1. ceterum quia illa difficultas est alibi a nobis per tractata; ideo tunc argumentis, ex communi sententia Scotistarum, pro scientiarum diuisione,

Notan.

no, notandum: quod sicut ens, quatenus est commune ad ens reale, & ens rationis, est quid equiuocum, nullum habens conceptum obiectiuum sibi correspondente; sic non datur aliqua scientia quae Philosophia generalis dicatur, communis ad scientiam realem, & rationalem: sed sicut ens equiuoce diuiditur in ens reale, & rationis; sic scientia, alia est realis, quae agit de ente reali, & alia rationalis quae agit de ente rationis.

Scientia realis, diuisione transcendentali, diuiditur in speculativam & practica, quarum quaelibet ad huc est multiplex: nam speculativa, vel agit de ente reali a materia separato, & sic est scientia Metaphysica: aut agit de ente materiae coniuncto, & hoc modo adhuc dupliciter: vel de ente coniuncto qualitativis sensibilibus, & est scientia Physica: vel de ente coniuncto materiae cum quantitate tantum; & est scientia Mathematica: quae iterum adhuc dupliciter considerari potest: nam vel agit de ente coniuncto materiae cum quantitate discretis, vel cum quantitate continua: si primo modo, vel cum quantitate discreta absolute, & est Arithmetica; vel cum quantitate discreta contracta ad numeros sonoros, & sic est Musica: si autem secundo modo consideretur adhuc dupliciter, potest agere de tali ente: vel vt est contractum quantitate continua absolute, & est Geometria; vel vt tale ens quantum continuum contrahitur per motum; & est Astrologia, quae corpora Coelestia quoad suos motus considerat: vel vt contrahitur per habitudinem ad aliquem sensum, & est Perspectiva, cuius obiectum est quantitas visualis: & haec duae vltimae mixtae scientiae nuncupantur; quia etiam subiecta ad Physicum & ad Mathematicum pertinent: de quibus Aristot. 2. Phys. agit.

Scientia practica est duplex: alia actiua, & alia factiua: actiua, quae proprie Moralis dicitur, cui dirigit hominem in suis actibus, vt vbiicumque, siue in politica, siue non bene & moraliter viuere possit: & sic est scientia Ethica: aut dirigit hominem ad bene beateque viuendum in politica; & sic est scientia Politica: vel dirigit hominem ad bene viuendum in domo, & dicitur economica. De vita solitaria, quae Monastica appellatur, nulla tradita est a Philosophis scientia; quia illa, vt Aristot. in Politicis ait, vel Dei est, vel Belluarum: & ad hanc scientiam practica actiuam, pertinet Prudentia, tanquam regula omnium virtutum moralium.

Scientia practica factiua, quae proprie Ars mechanica appellatur, eo quod intellectum ad contemplationem veritatis creatum adulterari facit, est multiplex: in genere autem sunt sex: Lanificium, Armatura, Nauigatio, Agricultura, Medicina, Theatrica.

Sub Lanificio comprehenduntur omnes Artes Sutoria, & Textoria, quarum materia sit siue Pannacea, siue Coriacea, Lineacea, vel Sericea.

Armatura habet sub se duas species, Architectonicam, & Fabrillem: Architectonica comprehendit Camenariam, Carpentariam, & Graphicam: sub duabus primis iterum continentur omnes Artes dolandi lapides, & ligna: sub Mallicatoria ponuntur omnes Artes, quae per exten-

sionem factam per malleum aliquod artificiatum in materia dura componunt: sub Graphica continentur omnes Artes depingendi, & lineandi.

Per Nauigationem intelliguntur etiam species mercatoriae, & mutuatoriae domesticarum, & peregrinarum mercium; quae a plerumque per nauigationem inter homines exercentur.

Sub Agricultura continentur Artes colendi Agros; vt Ars arandi, fodiendi, serendi, insendi arbores, plantandi, & putandi, &c.

Sub Venatione, continentur immediate Ars aucupandi aues, & venandarum ferarum, & piscandorum piscium: ad quas iterum reducuntur omnes aliae, quae ijs exercitijs deseruire poterunt, quibus etiam adduntur Artes condimentorum, & apparatus comestibilium, vt Piscatoria, Carnificia, Cupedinaria, Fartoria, Coquinaria, &c.

Sub Medicina continentur Chirurgia, & reliquae omnes, quae ad valetudinem ordinantur, vt Ars inspiciendi vinam, Ars sanandi Apoplemata, & vulnera; ac etiam Ars Apothecaria.

Sub Theatrica tandem continentur omnes Artes pertinentes ad ludos corporales, & ad robur membrorum exercendum, siue in militia, siue in pugna, vt Ars luctatoria, equitatoria, cursoria, & Ars lanistarum, ac aliae multae, quae vltimo nomine carent, quibus possunt addi Artes, quae his exercitijs deseruiunt, vt fransactiua, Ars conficiendi fellas, & aliae huiusmodi.

Ex quibus constat Artes liberales (sic dicitur, vel quia libere se offerunt intellectui, vel quia illis vacantes debent esse liberi ab omni seculari negotio; vel quia liberi illustrium virorum illis studebant) in genere esse tantum tres, Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam; in specie autem esse plures, quam septem, vt vidimus: vnde enumeratio illarum in hoc carmine contenta scilicet, Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astrae: est insufficientis: & ideo dico de computatione mechanicarum, in hoc altero carmine relata: Rus, Nemus, Azma, Faber, vulneta, Lana, Rates.

Scientia rationalis, quam agere de ente rationis diximus, sumitur dupliciter late, & stricte: primo modo appellatur Metaphysica rationalis, consideratque ens rationis, in tota sua latitudine sumptum: secundo modo dicitur communiter scientia logicalis, agitque de ente rationis; quod est secunda intentio: quod quidem ens rationis stricte, & proprie dicitur: ceterum cum tale ens rationis sit applicabile, & tribus ipsis, ac sermonibus, scientia rationalis secundo modo sumpta diuiditur in scientiam per se & stricte rationalem, & in scientiam per se sermocinalem: scientia per se rationalis est nostra logica, quae agit de secundis intentionibus applicabilibus primis in esse cognito acceptis.

Scientia per se sermocinalis est triplex: Grammatica, quae considerat genus masculinum, & femininum: numeros, personas, casus &c. vocibus per intellectum applicabilia: Rhetorica, quae vocum ornatum, & elegantiam, vt apposite loquamur, contemplatur: & Poetis, quae methodum & mensuram inter ipsas voces considerat, ad Grammaticamque reducitur.

Corollari.

1. Conclu-
sio.

Dicendum primo: Logica non continetur sub vna Philosophia generali communi ad scientiam realem & rationalem: hæc est apud probatissimos Scotistas recepta: & patet, nam enti reali, & rationis, secundum illos, non datur vnus conceptus vniuocus communis: ergo nec vna scientia, quæ de tali conceptu tractet, ergo nec quod sit communis scientiæ reali, & rationali:

2. Conclu-
sio.

Dicendum secundo, Logica sub scientia rationali large sumpta continetur. Hæc videtur esse Doctoris in tertio dist. 34. quæst. vnica lit. D. vbi ait habitum speculatiuum diuidi per realem, & rationalem; & realem rursus in Metaphysicam, Physicam; & Mathematicam; & rationalem in varias species sed vna illarum est Logica: ergo logica continetur secundum Doct. sub habitu speculatiuo rationali in communi, qui est scientia rationalis large sumpta, quam astruimus.

QVÆSTIO II.

Verum Logica sit scientia communis.



VERITVR vtrū Logica sit scientia communis: quod nō videtur. quia communitas scientiæ est à communitate subiecti: subiectum autem Logicæ distinctum est à subiectis aliarum scientiarum, ergo, &c.

Ad oppositum arguitur per Boetium: Logica est de secundis intentionibus applicatis primis: illæ autem sunt communes, & applicabiles omnibus primis.

Dicendum, quod scientia dicitur communis à subiecto: potest igitur intelligi communis: vel quia subiectum eius est prædicabile de subiectis aliarum scientiarum: vel quia eius subiectum cadit in vsum omnium aliarum scientiarum. Primo modo nō est communis Logica, nisi forte per accidens. Si subiectum eius sit applicabile omnibus alijs scientijs secundo modo: Logica est communis: quia omnes scientiæ vtuntur syllogismo, & alijs, de quibus est Logica.

Summa textus.

Soluta iam quæstione prima de quidditate Logicæ secundum se, aggreditur Doctor quæstionem secundam de Logica in ordine ad alias scientias, inquirens in ea, vtrum sit scientia communis, vel specialis: &

quia communitas in scientia sumitur ab obiecto: siue etiam sumitur veritas extrinseca: ideo vnicam apponit distinctionem dicens: quod subiectum Logicæ potest dici commune respectu subiectorum aliarum scientiarum: vel quia prædicatur de illis: vel quia est illis applicabile: nec est, adiuuat ad illorum scientiam cognitionem: qua distinctione præmissa.

Dicit primo; si communitas sumatur à subiecto ratione prædicationis; Logica non est per se scientia communis; id est, obiectum Logicæ nō prædicatur per se de obiectis aliarum scientiarum: bene tamen Logica est per accidens scientia communis.

Primam partem huius conclusionis probat argumento posito pro parte negatiua: quia obiectum, quod distinguitur ab obiectis aliarum scientiarum, non potest de illis prædicari: quam etiam partem expresse tenet, 1. Post. quæst. 43. & primo Elenchorum quæst. 1. vbi probat Logicam esse scientiam specialem: quia eius obiectum non prædicatur de obiectis aliarum scientiarum; vt patet.

Secunda pars multis difficultatibus ingessit: quare Dominus Mauritius putat obiectum Logicæ in se prædicari per accidens de obiectis aliarum scientiarum, ita vt ly, prædicabile sit idē, quod applicabile illis: vnde infert, in textu ita legendum esse. Primo modo non est communis Logica, nisi forte per accidens, si subiectum eius sit applicabile omnibus alijs scientijs. Ita vt huius clausulæ punctus ponatur ibi: omnibus alijs scientijs; & non ibi: nisi forte per accidens: sicut nos ponimus. Sed salua reuerentia tanti viri; melius legimus cum Domino Sarnano, & alijs: de ita ly, per accidens refertur, non ad obiectum Logicæ in se, sed ad incompleta, ex quibus habet fieri tale obiectum: quia quodcumque obiectum aliarum scientiarum habet denominari subiectum, prædicatum, vniuersale, superius, &c. ratione quorū obiectum Logicæ potest per accidens, id est, per aliud, de obiectis aliarum scientiarum prædicari: & ita Logica potest etiam per accidens scientia communis appellari.

Secundo dicit: si communitas sumatur ab obiecto, ratione applicationis, Logica est scientia communis: probatur: nam syllogismus est applicabilis omni scientiæ, tam secundum se quam secundum reducibilia ad ipsum; eo quod omnis scientia indiget illis pro veritatis inquisitione: igitur.

Nota tamen pro illis, quæ docuimus quæst. precedente Artic. 2. not. 2. quod licet Logica dicatur scientia communis; non ideo ab hac communitate habet esse scientiam, nec Logica Doctor centem appellari: nam hoc illi (vt vidimus) alim de prouenit: sed solum habet ab hoc appellari Logica vtentem: quia hæc communitas solum consistit in applicatione sui obiecti ad acquisitionem aliarum scientiarum. Quare Doctor non loquitur hic tantum de parte topica, quæ regulariter dicitur vtens, & communis, quia vtitur medio communi: Sed loquitur de Logica quo ad omnes eius partes, pro vt in vsum aliarum scientiarum cadunt, applicando eis sua obiecta.

1. Conclu-
sio.

2. Conclu-
sio.

ARTIC. I.

An Logica sit ab alijs scientijs realiter distincta.

1. Sententia.

Prima sententia est omnium fere Græcorum, quos sequitur Zabarella lib. 1. de natura Logicæ cap. 5. asserentium Logicam non esse distinctam à scientia illa, cui applicatur, sed esse idem realiter cum illa: seu potius esse eandem scientiam, cui applicatur. Quam sententiam probant. Primo, Logica applicata Philosophiæ naturali est Philosophia naturalis: quia nihil aliud est Philosophia naturalis, nisi congeries quædam syllogismorum, & propositionum in rebus naturalibus formatarum: ergo, si Logica est scientia, nihil aliud est, nisi illa facultas cui applicatur.

2. Argum.

Secundo quælibet scientia postulat peculiare obiectum, circa quod versetur, ex 4. Metaph. tex. 1. sed logica non habet determinatū obiectū ex 1. Post. ca. 12. vbi dicitur: Dialecticā non esse aliorum diffinitorum; nec alicuius generis: & ex 4. Metaph. tex. 5. vbi asseritur Dialecticam disputare de omni ente: ergo non est scientia ab alijs distincta.

2. Sententia
Doctoris.

Secunda sententia, & opposita præcedenti, est communis, cum Doctore locis Artic. præcedente citatis, in quibus explicat quoniam modo Logica sit scientia communis, & specialis. Vnde dicendum: quod Logica est scientia ab alijs realiter distincta: probatur: habitus (licet mediate) distinguuntur per obiecta: sed obiectum Logicæ est sufficiens ad causandum, & terminandū cognitionem realem (scientificam distinctam realiter à cognitionibus aliorum obiectorum, siue realium, siue rationis: igitur. Minor quoad rationem causandi probatur: nam ens rationis Logici fundamentaliter potest mouere intellectum ad se ipsum formaliter sumptum intelligendum: vt infra latius patebitur, &c.

Conclusio.

De ratione terminandi etiam patet: quia ens rationis habet quidditatem distinctam, & sufficientem, ad talem cognitionem terminandam; quin obiecta aliarum scientiarum illam terminent: quando enim cognosco syllogismum, non est opus cognoscere simul ens mobile, vel ens reale, eadem cognitione: imo nec alia distincta, igitur, &c.

Ad primū.

Ad argumenta: ad primum nego antecedens: nam quamuis illa scientia, cui Logica applicat suū obiectum, possitaliquomodo dici scientia pro materiali, quia scilicet tribuit materiam, cui tale obiectum applicetur: non tamen potest Logica formaliter appellari: quia nec obiectum applicatum, nec cognitio talis obiecti, quæ applicationem antecedit, possunt dici scientia, cui applicantur: patet de primo: nam instrumentū nunquam fit illa res, cui inseruit: gladius enim non fit lignum, quod secatur: ergo nec syllogismus, qui instrumentum scientiarum dicitur, fit formaliter scientia illa, cui deseruit.

De secundo non minus liquet: nam semper

talis cognitio, quæ antecedit applicationem syllogismi, est Logica Docens, quæ licet, vt iam ad construendos syllogismos in alijs scientijs, talis vsus, cum sit illi accidentalis, & extrinsecus non extrahit ipsam à sua natura, sed semper in suo esse remanet distincto.


Ad secundum.

Ad secundum dico primo, Aristotelem loqui ibi de Logica tantum secundum partem topicam, quæ cum præcedat ex medio communi, in singulis scientijs infert proprias conclusiones: & ideo dicitur non habere genus determinatū.

Secundo potest dici: minorem esse falsam: nam obiectum Logicæ absolute, & secundum se consideratum, est vnum determinatum: licet quatenus sumitur in ordine ad aliud, sit commune per applicationem: & in hoc sensu intelligitur Philosophus, dum ait Logicam non esse vnius generis determinati: quia eius applicabilitas passua omnium scientiarum obiecta respicit.

ARTIC. II.

An Logica sit necessaria ad alias scientias comparandas?



Via ex quæstione præcedente patet, duplicem esse Logicam: naturalem, & artificialem: & aliqui existimant ad alias scientias comparandas solum sufficere, & esse necessariam, Logicam naturalem sine artificiali: alij vero opinantur non sufficere primam, sed secundam simpliciter necessariam esse: ideo præfens Articulus disputatur: in quo duplex circumfertur principalis sententia. Prima est landuni 2. Metaph. quæst. 2. cui subscribit Fonseca ibidem capit. 3. quæst. 4. sect. 2. asserens Logicam non esse simpliciter necessariam ad alias scientias comparandas, & conseruandas: sed tantū secundum quid; & ad melius, seu facilius esse: & probatur primo, illud est simpliciter necessariū ad scientias, sine quo ipsæ nequeunt acquiri: sed sine habituali Logica possunt acquiri: ergo Logica nō est simpliciter necessaria ad illas: minor probatur: nam ad habendam scientiam in Metaphysica huius veritatis: homo est sensibilis: sufficit cognitio Principiorum, & bonitatis consequentiæ: sed hæc duo sine Logica artificiali, cum naturali tantum, haberi possunt: nam omnē rationale est sensibile; omnis homo est rationalis: pertinet ad habitum primorum Principiorum: & bonitas consequentiæ in Barbara, vel in Darij etiam pertinet ad eundem habitum, qui solo lumine naturali generatur: ergo.

1. Sententia.

2. Argum.

Secundo, quādo rusticus explicatur hæc præmissa: Omne totū est maius sua parte: homo est totū, & manus est pars: statim infert lumine naturali: homo est maior manu. Sed talis est Assensus certus, & ex præmissis causatus, ergo est scientificus: & per consequens intentum.

Secunda & opposita sententia asserit, Logicam esse simpliciter necessariam ad acquisitionem, & conseruationem omnium scientiarum. Ita communiter Thomistæ. Soto quæst. 1. prooem. Albertus in prædicabilibus cap. 3. Nauarrete,

2. Sententia.